

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

ad populum et sanctifica illos hodie et cras. lauentque vestimenta sua et sint parati in diem tertium. Die enim tercio descendet dominus coram omni plebe super montem Synai. Constituesque terminos populo per circuitum et dices. Cauete ne ascendatis in montem nec tangatis fines illius. Omnis enim qui tetigerit montem morietur. manus non tangent eum sed lapidibus opprimetur. aut confodietur iaculis. Siue iumentum fuerit siue homo non uiuet. Ad iussum igitur domini sanctificato populo tertius iam superuenerat dies et mane inclarauerat. et ecce ceperunt audiri tonitrua. ac micare fulgura. et nubes densissima operire montem. clangorque buccine vehementius precebat. et timuit populus qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum dei de loco castrorum. steterunt ad radices montis. Totus autem mons Synai fumabat eo quod descendisset dominus super eum in igne et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace. eratque mons omnis terribilis. et sonitus buccine paulatim crescebat in maius et prolixius tendebatur. Moyses loquebatur et dominus respondebat ei. Descenditque dominus super montem Sinay in ipso montis vertice. et vocauit Moysen in cacumen eius tradens ei decalogum. legemque. et mandata populo explananda. Interea circumspiciens populus videbat voces. et lampades. et sonitum buccine montemque fumantem. et perterriti ac pauore concussi steterunt procul. Venit tandem moyses et narrauit plebi omnia verba domini atque iudicia. Responditque cunctus populus una voce. Omnia verba domini que locutus est faciemus. et erimus obediens. Iterum ascenderunt Moyses et aaron Nadab et Abiu. et septuaginta de senioribus israel. et viderunt deum israel. et sub pedibus eius quasi opus lapidis saphiri. et quasi celum cum serenum est. Viderunt deum et comederunt ac biberunt. Rursum ait dominus ad moysen. Ascende ad me in montem et esto ibi daboque tibi duas tabulas lapideas et legem ac mandata que scripsi ut doceas filios israel. Cumque ascendisset moyses. operiuit nubes montem. et habitauit gloria dei super Synai regens illum nube sex diebus. Septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem species glorie domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum israel. Ingressusque Moyses medium nebule ascendit in montem. et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Quo in tempore videns populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses. congregatus aduersus aaron ait. Surge fac nobis deos qui nos precedant. Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra egypti ignoramus quid acciderit. Igitur aaron acceptis inauribus aureis a populo fecit opere susorio